

sermone, quos nō solum manifesta pascat sed etiam secreta exerceat ueritate, hoc in prom-
 ptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta deside-
 rantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur. His salubri-
 ter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic do-
 ctrinae inimicus est animus, qui uel errando eam nescit esse saluberrimam, uel odit agrotan-
 do medicinam. Vides quā prolixam epistolam fecerim? Si quid ergo te mouet, atque
 inter nos pertractari tanti habes, non tibi faciat angustias usitatarum epistolarum, uelut
 custodiendus modus: quia & optime nosti quā grandes eas ueteres habuerunt, cum ali-
 quid agerent quod explicare breuiter non ualerent: & si autorum ad alias literas pertinen-
 tium, mos esset alius, nostrorum nobis in hac re dignius imitanda praeberetur autoritas.
 Inspice itaq; modum epistolarum Apostolicarum, uel eorum etiam qui illa diuina elo-
 quia tractauerunt, & nō pigeat te uel multa quærenda proponere, si multa te permouent,
 uel aliquando diutius uersare quod quæris, ut quantū heri per tales quales sumus potest,
 non remaneat dubitationis nubilum, quod obstet lumini ueritatis. Scio enim excellentiā
 tuā, quorundam perpeti obstinatissimas contradictiones, qui propterea putant, uel pu-
 tari uolunt Christianam doctrinam utilitati non conuenire reipublicæ, quia nolunt stare
 reipublicam firmitate uirtutum, sed impunitate uitorum. Non autem sicut regi homini
 uel cuilibet principi ciuitatis, ita etiam deo quicquid à multis peccatur inultum est. Miseri-
 cordia uero eius & gratia prædicata hominibus per hominem Christum, impartita autē
 per deum, deiq; filium eundem ipsum Christum, non deserit eos qui ex eius fide uiuunt,
 eūmq; pie colunt, siue mala huius uitæ patienter fortiterq; experiantur, siue bonis eius mi-
 sericorditer ac temperanter utantur, aeternum pro utroq; præmium recepturi in ciuitate su-
 perna atq; diuina: ubi iam non sit moleste toleranda calamitas, nec laboriose frenanda cu-
 piditas, sed sola sine ulla difficultate, & pfecta libertate retinēda dei & proximi charitas.
 Incolumem feliciorēq; te misericordissima dei omnipotentia tueatur domine illustris D
 & merito insignis, ac præstantissime fili. Sanctam & in Christo dignissime honorandam
 matrem, cuius pro te deus preces exaudiat, pro meritis uestris officiosissime saluto. San-
 ctus frater & coepiscopus meus Possidius, præstantiam uestram multum salutatur.

Marcellinus Augustino, Narrans quosdam calumniari, quod deus ueterem legem
 abrogarit, quodq; doctrina Euangelica sit inutilis reipubli. deniq; Christianos princi-
 pes multum malorum inuexisse reipub. Epistola. III

DOMINO nimiumq; uenerabili, & omnibus mihi officijs unice percolendo,
 patri Augustino, Marcellinus. Vir illustris Volusianus beatitudinis tuæ mihi
 literas legit, imò me quidem cogente pluribus legit, quæ scilicet omnia quæ à
 te dicuntur quia uere miranda sunt, usq; quaq; miratus sum. Sermonis enim
 diuini gratia humiliter tumēs, facile ut placeret emeruit. Hinc enim plurimū placuit quod
 hominis gressus aliquanto titubantes boni propositi exhortatione statuere & firmare cō-
 tendis. Est enim nobis cum eodem quotidiana pro uiribus nostris, & pro ingenij pauper-
 tate disputatio. Sanctæ quidem matris eius precatione compulsus, cura mihi est eum fre-
 quentius salutandi gratia conuenire, licet uicem in hac parte reddere etiam ipse dignetur
 Accepta autem uenerabilitatis tuæ epistola, homo qui à ueri dei stabilitate, multorū (quo-
 rum in hac urbe copia est) persuasione reuocatur, ita motus est, ut si quātum ipse cōfirmat
 literarum prolixitatem minime formidasset, omne beatitudini tuæ quod habere potest,
 insinuasset ambiguum. Sed tamē satis, sicut etiā ipse probare dignaberis, culto accuratōq;
 sermone, & Romanæ eloquentiæ nitore perspicuo, aliqua sibi exolui impendio postulauit.
 Quæ quidem quæstio usq; quaq; detrita est, & eorum super hac parte satis nota calliditas,
 qui dispensationem dominicæ incarnationis infamant: Sed tamen etiam ego in hac parte,
 quia plurimis quicquid rescriperis profuturū esse confido, precator accesserim, ut ad ea ui-
 gilantius respondere digneris, in quibus nihil amplius dominū quā alij homines facere
 potuerūt,

Sollicitus.